

tie, et ideo dicebat: Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, qui est, ut sciam, quid desit mihi). Finem illum quaerit promissorum coelestium, vel illum, quando unusquisque surget suo in ordine: Primitiae Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt, deinde finis¹⁾. Tradito enim regno Deo et Patri, et evacuatis omnibus potestatibus, ut Apostolus dixit, perfectio incipit. Hic ergo impedimentum, hic infirmitas etiam perfectorum, illic plena perfectio. Ideo et dies illos requirit vitae aeternae, qui sunt, non qui praetereunt; ut cognoscat, quid sibi desit, quae terra sit repromissionis, perpetuos fructus ferens, quae prima apud patrem mansio, quae secunda, quae tertia, in quibus pro ratione meritorum unusquisque requiescet. Illa ergo nobis expetenda, in quibus perfectio, in quibus veritas est. Hic umbra, hic imago, illic veritas²⁾. Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in coelestibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur et vitulus, nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, ubi plena perfectio; quia perfectio omnis in veritate est.

DE VANITATE CALCANDA.

Ergo dum hic sumus, servemus imaginem, ut ibi perveniamus ad veritatem. Sit in nobis imago justitiae, sit imago sapientiae, quia veniemus ad illum diem, et secundum imaginem aestimabimur. Non inveniat in te adversarius imaginem suam, non rabiem, non furorem; in his enim imago nequitiae est. Adversarius enim diabolus sicut leo rugiens quaerit, quem occidat, quem devoret. Non inveniat auri

1) Ps. 38. 2) 1 Cor. 15. 3) Hebr. 10.